

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Conradi Samvelis Schvrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

Caput VI. Et Ultimum. De Regni Burgundi Ad Franco-Carolingos

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

nium Sicambriam, sive Franciam Sicambriam, inuuentes. Francia enim Tongrica, cuius Prosper Aquitanus in Pharamundo meminit, recentior est, firmisque rationibus ex Turonense probatur. 3. Omni iure autem eos deserimus, qui nullo verae lectionis argumento *φραγκός* apud Strabonem inveniri opinantur. Illud quidem largior *κελτός* ab eo nominari, nec vero denotari alios, quam Gallos, propterea quod Strabonis aeo Franci nondum hoc nomine appellati, in Germania barbarica, sive Erancia Sicambrica consistebant. 4. Primum autem meliori successu, et animo manendi seculo V. in Galliam sese effuderunt, et sive ductu auspicioque Merovaei, ut vult Iodocus Coccius, sive auctoritate imperioque Childerici, Merovaei F. ut sentit Fr. Hottomannus, Franciae nomen Gallis addiderunt. 5. Stephanus Byzantius ex Parthenio Phocaeto refert, Francos gentem Italiae iuxta Alpium montes fuisse, ut forte subindiceret, Francos, subacta Gallia, usque ad fines Italiae regnasse. 6. At vero de Gallis interpretantur alii, quippe quos Graeculi posteriores *φράγγες* vocasse videntur. V. Thomas de Pinedo in observat ad Stephan. Byzantium de urb. in hoc vocab. 7. Quae significatio est ad hoc institutum non pertinet, atque insuper haud propria est, minimeque congruit accuratae historiae civilis argumentis, tamen in hoc abusivo loquendi genere sic comparata est, ut *Κελτοίς ὑπὸ τοῖς Ἀλπεῖς* (sub Alpibus, id est, Gallis in alpinis, sicut Cisalpinis.) conveniat, quos Strabo tanquam *Ἰταλίας* Gentem Italiae *ἀντιαλπείους* Transalpinis distinguit, nihil autem de Francis dicit, quippe tunc ne nomine quidem ipsi cognitis, quum in ultimo Rheni limite positi, Gallias nondum ditionis suae fecerant. 7. Improprius ergo loquendi modus, quo plerique posteriores Graeci usi sunt, nunc adhiberi non potest ad veteres idoneosque scriptores explicandos. 8. Neque ratio scribendi Dionis finit, ut eius *κελτοί* paria faciant cum *κελτοῖς* Strabonis, quandoquidem ille per Celtas sane transrhenanos denotavit. 9. Similiter Francorum nomen etiam a posterioribus Graecis laxius sumptum est, atque olim, illis praefertim temporibus quibus fama de sacro Francorum bello percrebuit, eorumque nomen tot tantisque successibus nobilitavit, ut generatim ad denotandos Occidentis populos adhiberetur. 10. Nihil hic addam de comparatione prisca, ex sequioris Francorum iuris. Prius enim, quod Saliqum appellatur, rudi stylo, Romano tamen, et simplicitate vel maxime a postiori distinguitur. Sane iam sua aetate Fridericus II. Imp. subtilitates nimias, cavillationes atque captiones iuris Francorum in Sicilia antiquavit, Const. Sic. libr. 2. t. 17. Infra demum sequitur Franco-Merovingorum genealogia.

\* Si proprie autem Franci denotantur, dicendum est, provincias subalpinas tempore Merovingorum quoque Francis fuisse obnoxias. Postea autem Carolus M. Alpes ipsas imperio suo coniunxit.

## CAPVT VI. ET VLTIMVM.

### DE REGNI BURGUNDICI AD FRANCO-CAROLINGOS TRANSLATIONE.

Carolus Martellus, rebus ex sententia confirmatis, Pipinum natu minorem filium Neustriae Burgundiaeque rectorem imposuit, quem fortuna procerumque Francorum favor usque eo euexit, ut decreto publice facto



Et rex Franciae designaretur, conciliataque Pont. Rom. Zachariae voluntate, una omnium sententia renunciaretur, primusque inter Francos solenni unctio (a) ceremonia consecraretur. Is vero nullis difficultatibus periculisque exterritus, annisque pariter maturus, et multis bellis exercitatus, occasione non defuit, fratreque natu maximo nomen apud sodalitem religiosam in Soracte monte professio, Griffoneque aetate minimo iam extincto, obtinendi regni commoditatem, rege ipso auctoritate maior, haudquaquam neglexit, duosque filios Carolum et Carolomannum procreavit, quorum prior Burgundiam forte delatam accepit, et magnitudinem animi singularem omnibus notam fecit. Altero post mortuo, Carolus omnes Franciae regiones in fidem suam adegit, et ad Neustriam Burgundiamque et Aquitaniam, superiori divisione partas, regnum Austrasiae ceterasque provincias denuo adiunxit: Burgundiam per praefectos administrari solitam Carolo filio attribuit, regnoque ultra montes Pyrenaeos et Alpes prolato, ius nomenque Augusti Imperatoris genti suae intulit, ac Hludovicum superstitem habuit, qui nec animo, neque consiliis Patrem aequavit, unde auctoritas et splendor sensim deminui coeperunt. Eo defuncto, bellum civile exarsit, quod ita compositum est, ut Lothario I. praeter augustam imperii dignitatem Austrasia cum titulo regis Burgundiae, atque inferiori huius parte obtingeret: postea Lotharius I. imperio et regnis sese abdicavit, inter cuius filios hac lege convenit, ut Carolo regnum Burgundiae assignaretur. (b)

(a) *Unctio regalis, quae vocatur, non usitata fuit temporibus regum primae stirpis, quod eiusmodi est, ut hoc argumento quoque testamentum Remigianum, prout vulgo extat, in suspicionem vocetur, propterea quod ritum continet sequiorum temporum, et formam simplicitatemque aevi Merovingici non refert, prorsusque a modestia Remigii abhorret. Equidem Gregorius Turonensis meminit unctiois, quum refert, Clodovaeum M. sacro chrismate delibutum, lib. 2. cap. 31. Sed haec unctio diversae generis fuit, pertinuitque ad actum baptismi, ac minime adeo fuit pars regalis consecrationis, sive eius unctiois, quae posterioribus seculis in regum inauguratione peracta est. Vid. Lemmata antiq. Franc. §. 21.*

(b) *Historia successionis et divisionis Carolovingorum sumitur ex Eginharto, ex annalibus antiquis Francorum a Petro Pithaeo, Marquardo Frebero, et Iusto Reubero editis, Aimoino, Adone, Reginone, Chronico Benigniano, annalibus Burgundicis, aliisque publicis et fide dignis monumentis. Utque ab initiis rem totam repetam, tradit quidem Pontus Heuterus, Carolomannum et Pipinum, Caroli Martelli filios, Franciam Burgundiamque et Austrasiam summa concordia per quinquennium rexisse. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi coniunctim praedicta regna administrarint, quippe quae sub utroque separatis regiminis rationes habuerunt, sed quia sine ae-*



mulatione, sineque disidiis et turbis utriusque regna ex pacto convento administrarunt, Childerico III. ob langvorem et ignaviam contempto, et nihil mutare auso. Grifozamen in partem dignitatis venire volebat, fratresque aequi et iusti oblitos querebatur, vindicaturus armis, si vel suis, vel alienis viribus fultus fuisset. Summa divisi huius regiminis, et turbidi Grifonis consilii, et praefectorum palatii auctoritatis, plane regiam aequantis, imo tunc superantis, totiusque rei eventus perspicitur in annal. Franc. ad an. 741. 748. 750. 751. 752. Igitur Pipinus Neustriam Burgundiamque partitis rationibus administravit, ingressoque monasterium Carolomanno, solus obtinuit, et annitente deinceps Bonifacio Archiep. Moguntino, de assensu procerum populiisque Francorum rex factus, postquam e vita decessit, regna sua Carolo et Carolomanno filii dividenda reliquit: quo factum est, ut iuxta cum Neustria et Aquitania regnum Burgundiae devolveretur ad Carolum, posthaec cognomen magni adeptum, qui fratre Carolomanno rebus humanis exempto, quod anno 771. contigit, omnia Franciae regna coniunctim suscepit. V. Annal. Fr. ad an. eundem Eginhartus de vit. Carol. M. cap. 3. Adelmus Benedictinus ad ann. 771. Illud vero hic de Carolo M. addit auctor chronici Benigniani, cum filium natu maximum, cui nomen erat Carolo, Burgundiae regendae imposuisse, Vignier. Chron. Burgund. ad an. 781. collat. an. 810. Ex dictis iudicari potest, quo iure Aub. Miracus Carolomannum Caroli M. Fr. Burgundiae regem appellavit, in annal. Belg. ad ann. 768. Neque ex eo, quod Burgundia Caesarica ex pacto divisionis Carolo Calvo obigit, colligi potest, iure eius pacti fuisse Burgundiae regem. Illa enim a tempore inde Clodovaei M. ex veteri Burgundiae regno decerpta, Neustriacque innexa videtur, quod de cetera Burgundia non perinde valet. Omnino autem sentio, mendum esse in Aimoino, pactum divisionis inter Ludovici Pii filios initum commemorante, quandoquidem pro Burgundia, quae nunquam Ludovico Germanico assignata est, Bavaria illo divisionis pacto sine dubitatione Ludovico Germanico cessa reponi debet.

§. II. Carolo sine liberis mortuo, Burgundia inter fratres eius superstites divisa est, quorum alter, Ludovicus haeres nominis II. imperio Romanorum regnoque Italiae potiebatur, alter Lotharius iunior dictus, Austrasiam in potestate ac ditione sua tenebat, qui simulac in vivis esse desit, non potuit se continere Carolus Neustriae rex, quin Burgundiae pariter Lotharingiaeque inhiaret. Sed quominus eas tam insignes luculentasque regiones Franciae Neustriacae adiceret, Ludovicus II. Imp. prohibuit, Romanusque Pontifex etiam ab iniquo et insolenti conatu ipsum dehortatus est, et missa legatione effecit, ut pax tranquillitasque conservaretur. Dehinc e vita migravit Ludovicus II. maiorque statim Caroli ambitio apparuit, quum fraudibus astuque niteretur, ut superius consilium perficeret, finitimaque haec regna propinquiori agnato praeiperet, avidumque habendi animum expleret. (c)

(c) Hic



(c) Hic quaedam distincte notanda sunt, quorum I. in eo positum est, ut partem divisionis velut regula ac fundamentum habeatur, quod apud Virodunum Galliae oppidum anno 843. initum iureque iurando firmatum est, annal. Fr. ad h. an. II. Quo Lotharius I. imp. Burgundiam cis-et transiuranam obtinuit. III. Is postquam sese imperio abdicavit, eius filii Carolus, et Lotharius iunior Burgundiam sortiti sunt, quorum illi Burgundia transiurana cum Provincia, huic cisurana obvenit, imperium Romanorum regnumque Italiae apud Ludovicum II. mansit. IV. Mortuo sine prole Carolo, Burgundiae transiuranae et Provinciae rege, Carolus Franciae occidentalis rex, qui et Calvus dictus est, in Burgundiae possessionem, invitis autem Ludovico II. et Lothario iuniore fratribus, admitti voluit. Nullo sane iure, quia pacto cessione, quae Carolo Calvo facta est, Burgundia non continebatur, et quum Lotharis I. propago deficiebat, iure erat propior Ludovicus Germanicus, natus quippe Carolo Calvo maior. V. Iurato ergo divisionis pacto Francia Orientalis ab Occidentali separata est, ut neutra in alteram ius haberet, ex eiusque praescripto Carolus Calvus a regnorum Burgundiae pariter et Austrasiae excluderetur. VI. Igitur Carolo Calvo iure se opposuerant Ludovicus II. et Lotharius iunior, Carolique fratris haereditatem diviserunt. Minime autem Regino memorat, Carolum Calvum in partem divisae haereditatis venisse, sed controversiam duntaxat inter ipsum Lothariumque coeptam tradit, ad an. 858. VII. Odorannus locuples testis est, Ludovicum II. inauguratum fuisse Burgundiae regem, quo argumento conficitur, Carolo Calvo id haudquaquam obtigisse. VIII. Post haec anno 870. super Lotharii iunioris haereditate, inter Ludovicum II. et Carolum Calvum convenit, ut insignem eamque remotiorem Burgundiae partem haberet Carolus Calvus. Vid. Regino ad d. an. Nithardus lib. 4. Conf. Aimoinus, Sigebertus, quorum hic an. 871. supputat. IX. Ex Burgundiae regno, cuius pars Rheno propinquior Ludovico II. Aug. relicta est, Carolus Calvus Viennam Bosoni, uxoris fratri, regendam commisit, ut est apud Aimoinum, lib. 5. cap. 27. ledit. Freher. X. Eidem altius evecto primates Burgundici apud Mantalam, quae ditioris Viennensis est, congregati, Burgundiae regnum, quod ab eo prensari sciebant, capessendum obtulerunt. V. alia conventus apud Gvil. Paradisum lib. 1. pag. 105. 109.

§. III. At vero Carolus Calvus futuros casus providere non potuit, pronoque in Bosonem, uxoris Iudithae fratrem animo, successorum nepotumque fortunam incautus futuriqve ignarus corrupit, quum Boso ingratus, spretoque ipsius nepotum, Carolomanni et Ludovici aetate elatior, insurgere, et magnam rebus novis materiam dare, instigatusque a coniuge Hermengarde regnum Burgundiae occupare instituit, profususque Optimatibus persuasit, ut Comitibus apud Matalam habitis rex Burgundiae crearetur. Quibus rebus etsi in multa ac magna pericula incidit, propeque ad desperationem redactus videri potuit, tamen contemptis, quae instabant, difficultati

tati



tatibus, nullos vel labores, vel molestias vitavit, et urgentibus Viennae obfidionem hostibus, callide cessit elapsusque est, et hinc arrepto ex temporum necessitate consilio, Arelatum se recepit, ibique sedem regni fixit, et distractis bello Normannico Francis, factaque dissensione impeditis, ad ultimum vitae tempus servavit. Exinde vero posteris temporibus sumta est occasio appellandorum regum, ut qui antehac Burgundici, deinceps *Arelatenses* recentiori nomine dicerentur. (d)

(d) *Per capita res haec explicanda est, ut planius meliusque ratio et origo appellationis regni Arelatensis cognoscatur. I. Boso non Arelati, sed apud Mantalam, in finibus Viennae sitam designatus creatusque rex est. II. Annus regiae Bosonis inaugurationis in aëtorum eventorumque commentariis adhuc extantibus notatur DCCCLXXIX. Vid. Paradisus paulo ante in hanc sententiam adductus. III. Huius ita gestus, Vienna, Galliae Narbonensis urbs, a Ludovico et Carolomanno, cui praeter Aquitaniam Burgundia obiigit, obsessa est, cumque ibi se non tutum fore provideret, relicta in urbe liberis, clam discessit, Arelatumque pervenit, et dedita post Viennam, cum urbis huius, tum Burgundiae Caesararicae iacturam fecit, ut auctor est Aimoinus, scriptor fide dignus. IV. Quoniam vero non liquet, an Boso trans Iuram regnaverit, pro certo nihilominus affirmari debet, provinciam Arelatensem cum metropoli eiusdem nominis in fide ditioneque Bosonis mansisse. V. Proinde quum scribit Aimoinus, Francorum, Burgundionumque et Aquitanorum Proceres Odonem Caroli simplicis, Ludovici Balbi F. tutorem consalutasse regem, sine dubio cis Ararim incolentes designavit, lib. 4. cap. 41. edit. Freber. VI. Iidem Caesararici Burgundiones, lite super successione in regno Franciae agitata, cum plerisque aliis provinciis Carolum Cr. ossum ad suscipiendum Franciae occidentalis regnum invitarunt. Huc inducens digitum intendit Sigebertus Gemblacensis Chronogr. ad an. 885. VII. Sed ea Burgundiae portio, quae Provincia Arelatensi continetur, in fide Bosonis permansit, atque eius causa Provinciae regulus dicitur, Sigebertus ad ann. 880. IIX. Rex Arelatensis, quatenus de veris et antiquis monumentis loquor, nunquam dicitur, quod cum ex stylo eius seculi, quo regna non ab urbibus, sed a provinciis appellata sunt, tum ex usu tractationeque illius aevi diplomatum constat. IX. Itaque scriptores aliqui, cum Bosonem Provinciae, aut Arelatum regem vocant, de sententia Ponti Heuteri eum per contumeliam sic vocasse videntur. X. Inter provincias Galliae Aquitania quidem per se regni titulum accepit, quod fide monumentorum Carolovingicae aetatis comprobari potest. Sed de provincia Arelatensi id non perinde valuit, quae postquam fieri coepit regni Burgundici pars, nunquam per se regni nomen titulumque habuit. XI. Quamobrem non accurate tradidit Nicolaus Vignierius, Bosonem regis Arelatensis nomine, quam Burgundiae celebratiorem fuisse, in Burgundionum Chronico ad ann. 882. XII. Certe enim, quod ego sciam, in monumentis Carolovingicis, ad quae Vignierius lectorem delegat, Bosoni non est adscriptus regis Arelatensis*



tenſis titulus. XIII. Regino, quem Vignier citat, affirmat quidem, Boſonem in regem, ſuper Burgundiae regnum inunctum, Chron. lib. 2. ad an. 879. Nuquam tamen vel ille, vel alius ſeculi Carolingici ſcriptor eum regem Arelatenſem appellavit. XIV. Quod documento eſt, hunc titulum ſtylo pragmatico aevi Karolini non fuiſſe receptum. XV. Vulgo tamen, et praefertim ſcriptores recentiores Arelatenſe regnum dicere conſueverunt, a vera germanaſque aevi Carolingici antiquitate haud modice deſectentes. XVI. Non ergo uſu illorum temporum paria faciunt titulus regis Provinciae, et titulus regis Arelatenſis, quamvis iſte etiam non tam ad rationem iuris, uſumque pragmaticum, quam ad inſectationem contumeliamque ſit ſere comparatus. XVII. Illud alioqui non inſciabor, urbem Arelatenſem, collocato ibi a Boſone domicilio, maiorem amplitudinem ſplendoremque fuiſſe naſtam, quam cum ſecuritatatis, tum commoditatis cauſa delegit Boſo, quod vix alia aeque eſſet opportuna ad Provinciam Burgundiamque in obſequio retinendam. Simul et ipſi percommoda fuit ad repetenda, quae Franci ſuperiori tempore occupaverant, praefertim cum bello Normannico diſſidiaque inſeſtinis conſiſtarentur. XIX. Maxime autem Provincia Lugdunenſis Boſoni in ſummas anguſtias adducto, miſeroque iam et prope extorri operam et fidele auxilium praefiitit, cauſamque eius ſemel ſuſceptam non deſerendam duxit. Fuitque haec Gallia, quae Lugdunenſis dicitur, ad memoriam nominis Burgundici tam inſignis, ut cum primis ipſa Burgundiae nomen retineret. XIX. Extremo hoc addendum puto, quod Romani a Burgundionibus non aſciverunt ſibi titulum, quod tamen iure poterant, maxime quum ab Aetio viſti fugatique erant. Sed quia Aetius maximam eorum partem concidit, ut aegre quaedam reliquiae ſervarentur, ac deinde Valentiniانو III. auctor fuit, ut in ulterio- rem Galliam traduceret, itaque poſthac amicis uteretur, Romani, apud quos non perinde ac apud Graeco-Romanos vanus immodicusque titulorum uſus fuit, ſive in fra ſuam gloriam duxerunt a reliquiis illo fortunae ſtatu contemptis ſumere titulum, ſive utilitati ſuae ſervientes, collectas nonnihil poſteaſque inſtauratas amicitia ſocie- tateſque ſua potius dignari, quam inſolenti titulo offendere, proſuſque a ſe abalie- nare voluerunt, cauti et inſtantium providi, quando tot hoſtes immanitate terri- biles ad irruptiones praedasque ſe comparabant, graſſariſque ferocius et irruere de- nuo in Romanorum fines cupiebant. XX. Id vero plus oſtentationis, quam iuris habuit, quod Imp. Graeco-Romani Francicos ſe appellarunt, quamvis Franci nun- quam ita a Romanis viſti fuerint, ut eorum iugum ſubirent. Fuitque hoc eiſmo- di, ut Theodbertus Francorum rex in parte iniuriae poneret, cauſamque belli in- terpretaretur. Agathias lib. 1. de bell. Goth. Chriſtophoro Perſona interprete, ait. Non ferendum eſſe exiſtimabat (Theodbertus) Iuſtinianum Imperato- rem ſuis et imperatoriis praefcriptionibus titulisque Latine, Alemannice, Ge- pediceſque et Langobardice, et eiſmodi (puta Francice, et id genus aliis) nun- cupationibus praedicafſe ſe gentes has omnes et nationes ſubactas habere.